

D. O. D.

DISSERTATIO ACADEMICA

De

COLLISIONE INTER RATIO-
NEM ET GENIUM SECULI CIR-
CA JUVENTUTIS INSTI-
TUTIONEM,

QUAM

CONS. AMPL. FAC. PHIL. IN REGIA ACAD. ABOENS.

PRÆSIDE

Mag. JOHANNE BILMARK,

HISTOR. AC PHILOS. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

PRO GRADU

PUBLICE EXAMINANDAM SISTIT

CAROLUS GUSTAVUS BROMAN,

Austro-Finlandus,

IN AUDITORIO MAJORI DIE XV. JUNII MDCCXCI,

H. A. M. C.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

à

Monsieur

Le Baron

*MAGNUS GUILLAUME
d'ARMFELT,*

*Major Général, Gouverneur de la Province & Chevalier
de l'ordre de L'Epée,*

MONSIEUR,

*Pénétré de la plus vive reconnaissance, & des sentimens
les plus respectueux, pour les bienfaits, dont il Vous
a plu, MONSIEUR, de combler mon pere, & dont il ne cesse
jamais de m'imprimer un souvenir plein de vénération, &
cherchant*

cherchant à procurer le lustre à cette petite dissertation académique ; j'ai pris la liberté de mettre VOTRE illustre NOM à la tête de ce petit ouvrage, que j'ose vous offrir, en Vous suppliant de vouloir généreusement lui accorder Votre protection. Nouvelle obligation, que je ne saurois m'acquiter que par des vœux très ardens pour la continuation de Votre bonheur pendant une longue suite d'années. En me recommandant & la maison de mon Pere dans VOTRE grace, j'ai l'honneur d'être avec le plus profond respect

MONSIEUR

Votre très humble & très
obéissant serviteur

CHARLES GUSTAVE BROMAN.

Krono Expeditions-Befallningsmannen,

Högaktade

Herr GABRIEL BROMAN,

Min Huldaste Fader,

Mitt bjerta känner en innerlig tilfredsställelse, då jag nu åger et länge önskadt tillfälle, at genom dessa blads öfverlämnanne til Min Huldaste Fader, få offenteligen förklara min vördnad, kärlek och tacksamhet för de otaliga välgerningar, som Min Huldaste Fader mig altid visat, ocb i synnerhet för de dryga omkostningar, hvilka Min Huldaste Fader benåget haft osparda för min undervisning i Wettenkaperne. Himlen välsigne Min Huldaste Fader med alt sjelfbegärligt godt, samt låte Dessa lefnads dagar bliſva så glada och många, som jag af upriktigt bjerta önskar, under det jag med barnslig tillgifvenhet framhärdar at vara

Min Huldaste Faders

Lydigste Son,

CARL GUSTAF BROMAN,

PRÆFATIO.

Quamvis Ratio, facultas illa animæ nostræ indita, qua verum a falso & bonum a malo discernimus, præcepta moralia nobis suppeditet certa, sancta & immutabilia; docet tamen experientia, quod circa horum ad facta applicationem mortales quasdam sibi permittant quasi modificationes, & quidem pro re nata diversas. Quod perpendentes Eruditi, nonnulli eorum in eam iverunt opinionem, cuilibet seculo suum esse genium, hoc est peculiarem res humanas æstimandi modum, non certe a solo tempore, *Laudamus enim veteres, & nostris utimur annis*, sed ab hominum conditione, aliis aliisque seculis diversa, præcipue repetendum. Fingamus enim Familiaæ cujusdam conditionem, primo ita tenuem, ut in negotiis œconomicis omnia ad obolum exigere necesse habeat, deinde vero opulentam factam; experiemur, hoc saltem præsumere licet, genium ejusdem simul mutatum, & vitæ genus prius asperum, in magis hilare ac commodum fuisse conversum. Quod de familia modo dictum, valet etjam de integris Nationibus, quarum indoles ac studia variant, prout vel inter extrema vivunt, vel eorum facultates aureo rore irrigantur. Nemo enim, nisi in Historia plane hospes, ignorat, genium populorum Europæorum post ingentes opes, ex aliis orbis partibus huc advectas, magnam subiisse mutationem. Demus BODINO, contendere aucto, sua ætate, seu circa finem seculi XVI, Europæos post Americam detectam,

A

de-

decuplo majorem auri argentique vim, quam qua ante illam gaudebant epocham, obtinuisse, juxtaque perpendamus, has opes multum deinceps fuisse auctas; nec ambiget quisquam, conditionem Europæorum, ut laudiorum factam, ita genium quoque seculi mutatum fuisse & commodius vitæ genus passim invaluisse. Et quum hic seculi genius tam in alia aliaque mortalium negotia, quam in juventutis institutionem haud parum influat; in hac dissertatione ad veritatis lampada pro modulo ingenii ostendere annitar, quanta inter rationem & genium seculi in hoc calu intercedat collisio.

§. I.

Per transennam modo vidimus, conditionem multorum parentum nostro seculo factam esse meliorem, quam quæ pridem obtinuit; cuius consequens est, ut tam sibi quam suis liberis majorem procurare studeant vitæ commoditatatem. Perpauci igitur sunt parentes, opibus aliquantum valentes, qui a le impetrare possunt, ut carissimos filios ad Scholas publicas, ibidem instituendos ablegent, caussas intermissi officii has interserentes, quod timeant, cum ne filii in consortio puerorum tenuoris fortis ac nulli non licentia generi adsvetorum, in vitiorum devia sensim abducantur, tum etiam ne filii, a paterna domo longius remoti, eum victimum & eam sanitatis curam desiderent, quam eis censem necessariam; imprimis autem disciplinam horrent publicam, in quam filii vel ob negligentiam vel ob alia hac non graviora vitia, nullo habito conditionis parentum respectu, incurruunt. Enimvero hi fere sunt, qui præjudicia seculi, adfectui paterno fayentia, magis, quam sanæ rationis præcepta sequuntur.

quintur; hæc enim docet, Scholas publicas a Principi-
bus, patriæ suæ iatribus, in succrescentis & ad se pecu-
liariter pertinentis pubis meliorem educationem optimo
& consilio & modo fuisse constitutas: his præfectos vi-
ros tam scientiarum ac disciplinarum peritia, quam mo-
rum integritate maturos ac conspicuos: his graviter in-
junctum, ut delectum puerorum admittendorum habeant,
ne qui litteris operam minerva plane invita navent: do-
centes denique ad rationem administratorum munerum
publice reddendam, quotannis saltem, esse obstrictos.
In Scholis quoque publicis inveniunt pueri, quod absen-
tiam a paterna domo compenset; amant enim per natu-
ram socialitatem præfertim cum suis æqualibus, & in
circo condiscipulorum aliquot reperiunt, qui in suam re-
cipiantur familiaritatem & hac perpetim fruantur, dig-
nos. Communibus præterea studiis laudabilis inter pue-
ros nascitur æmulatio, ingeniosis & poliendis & ad bonam
frugem deducendis aptissimum medium; se dquam exei-
tandi nulla fere intra paternos lares datur occasio. In-
super quum numero famam juventutem, suæ institutioni
commissam, rite educare non possint Magistri publici,
nisi exactam obseruent disciplinam, & præmia ac poenas
ex æquo distribuant; verendum non est, ne vitia ino-
lescant, aut suo contagio partes corripiant sinceras. Te-
stamur experientiam, quæ docet, ex Scholis publicis,
dum suus his constituit vigor, nec nævos quosdam eis
adfixxit seculi genius, viros & virtutum & meritorum
gloria illustrissimos in lucem orbis iterum iterumque
prodiisse; quare nec dubitandum, easdem excelsa-
rum mentium in posterum ejam futuras nutrices.

§. II.

Scholas ita publicas quum juventutis institutioni minus
esse aptas, ex genio seculi multi opinentur parentes, & diffiteri

tamen nequeant, illam esse maxime necessariam, sine qua videlicet liberi forent iniuria terrae pondera, sibi aliisque oneri atque opprobrio; consultissimum judicant, eos domi instituendos curare, optimam ita habituri occasionem, tam decernendi, quam agendi quicquid saluti liberorum pro re nata fuerit convenientissimum. Horum quoque parentum multi dum institutioni suorum liberorum talem, qualem impetrare potuerunt, præfecerunt juvenem, eique stipulatum præstituto tempore solverunt salaryum, credunt, se suum officium laudabiliter & ex æquo peregrisse. Ponamus autem, parentes voti sui compotes factos, suorumque filiorum institutioni præfecisse Magistrum, in variis variisque scientiis ac linguis haud leviter versatum; hinc tamen non iequitur, filiorum institutionem votis ac sumtibus eorum ex aste semper responsuram. In muneribus enim rite administrandis parum valet theoretica cognitio, nisi experientia, quæ longioris temporis & exercitationis est filia, suffulta, quæ autem indulgenter nimis tribuitur juvenibus, quales plerique sunt, qui privatæ institutioni nostra ætate præficiuntur. Quare etiam non raro contingit, ut discipuli pleniorum eorum, quæ vel legunt vel audiunt a Magistro petentes cognitionem, aptum vix impetrant responsum, sed jubeantur vel suo uti judicio, vel auctorem, quem eis evolvendum præbet, consulere; quisque autem videret, hoc modo illorum sciendi desiderium sufflaminari. Dantur insuper in ædibus paternis multa a studiis avocamenta tam per indulgentiam parentum, quam interventu amicorum, parentes iterum iterumque salutantium. Præterea quum liberi, parentibus saepe conniventibus, partem auctoritatis herilis in ceteros, ad familiam pertinentes, non raro usurpent, consuetudinem contrahunt erga alios quoque indiscriminatim se impotenter gerendi, in ipsum Magistrum.

gistrum subinde insolentes; quo quidem modo incommoda evadunt societatis membra. Inter privatos denique lares optima liberis non semper præbentur vitæ morumque exempla; pauci quidem sunt parentes, qui liberis suis, ut res maxime necessarias, non commendent iustitiam, pietatem, integritatem ac fidelitatem; attamen cum multi eorum specimina iustitiae, impietatis, aviditatis ac fraudum edere non dubitent, & his, tamquam lucri compendiis, delectentur, in suum liberi inducunt animum, virtutes ad meras pertinere speculationes, nec alicis ad eas feryandas obstringi, quam ingenio minus acuto præditos.

§. III.

Circa ipsum institutionis modum a genio seculi haud parum dissentit ratio: parentum enim multi filios suos & doctiores & meliores quidem optant, sed commoditatis amantes postulant, ut minimo utrumque finem consequantur labore; immemores, uti videtur, ad eruditionem & virtutem viam non dari regiam. Cum magistro itaque paciscuntur, ne lectionibus memoriter recitandis, unde fastidium litterarum provenit, discipulos fatiget, sed per concinnas dissertationes (discursus vulgo dicunt) eos ad notitiam disciplinarum quarumvis deducat; opinantes, liberos insigniter profecturos, si magistro loquenti patientes aliquantis per commodent aures. Singulos autem hoc laborantes præjudicio perpendere jubet ratio, animæ nostræ facultatem culturam sine mutua magistri ac discipuli opera nunquam obtineri, sed altero partes suas negligente, in casum laborare alterum. Nemo quidem fa-nus probabit veterum instituendi methodum, quibus fuit persyalum, homines tantum scire, quantum memo-

ria tenerent, quo factum, ut multa tunc legerentur, sed pauca intelligerentur; nec tamen memoriae in puerili ætate, qua hæc maxime valet, seponenda erit exercitatio, quæ certe non perficitur, partibus institutionis ad solas magistri cum discipulo confabulationes devolutis. Præterquam enim quod studiorum moderatores sint pauci, ea eruditionis supellestili instructi, ut idonea colloquia vel de insignium factorum moralitate vel de phænomenorum caussis cum suis instituere queant discipulis, horum memoria, multa audiendo, sensim obtunditur, ut, colloquio peracto, hujus materiam vix recordentur, aut ex illo retineant tantummodo putamen circumstan-
tia alicujus magis curiosæ, quam utilis. Præterea ex memoriali lectionum recitatione hoc conseqüebantur veteres, ut juvenes adsverferent distincte pronunciare quicquid didicerant, dum contra ad genium seculi instituti, per taciturnitatem, sibi auscultantibus injunctam, nihil apte edisserere queant, præsertim quum repetitio perceptorum fiat tumultuarie, ne discipuli fatigetur animus. Imo docet experientia, in postulatis dissertationibus iustum raro servari tenorem, sed utilia jucundis, & seria jocosis, ut ipsa suggerit imaginatio, misceri; quo quidem modo animo puerorum non magis consulitur, quam corpori nimia ciborum ac potuum varietate. Penum i-
gitur memoriae idoneis ex lectione librorum præceptis instruat tiro, quibus judicii limam commonet magister; sic unitis operis feliciter provehetur institutionis ne-
gotium.

§. IV.

Quum homines primis pueritiæ annis suos potissimum sequantur sensus, bonum aliquid aut malum ha-
bentes

bentes, prout illud eis obveniat vel gratum vel ingratum, ac proinde laborum sint impatiētes, institutionique, quæ naturali eorum levitati non convenit, tantum non omnes ægre se accommodent; ad hanc igitur socordiam imminuendam necesse fuit, ut mediorum promulside ad Palladicas dapes degustandas invitarentur pueri. Quocirca nostro præsertim tempore invaluit consuetudo, ineunti adolescentiæ, ad sedulam facultatum animæ culturam & ad comparanda eruditio[n]is præsidia, excitandæ vel ambitionis libum, vel opes, vel quævis voluptatum ac commoditatum genera, post exantatas in musarum palæstra molestias obtinenda, proponere. Sed hi fere sunt, qui vitia naturæ vitiis moralibus depellere, morboque periculoſo periculofas adhibere curationes non dubitant. Ita enim fit, ut filii cum ipsis litterarum elementis, tam de sua præstantia exūniā concipient opinionem, inter præcipua in litterarum stadio progressuum impedimenta omni ævo habitam, quam alios etiam præ se contemnunt, eos præsertim, quos dictieris audacioribus, quam argutioribus, confundere forte poterunt hi suffeni. Imo hoc instituti modo, dum publicis admoventur muneribus, in eisdem vel negligenter, vel impotenter se plerumque gerunt. Nec reticendum, quod modo memoriata in studiis progrediendi motiva juveni[ti] suggerentes, reapse ignorent, cum in quo vera consistat felicitas, in opum abundantia & honorum culmine profecto non invenienda, tum æquam laudis dispensationem, lectionibus non præmittendam, sed diligentiae ut fructum, tribuendam. Imo juvenes aliquantum circumspectiores haud operose animadvertunt, quod vanæ & forte imperatæ laudes a premeritis tantum differant, quantum æra distent lupinis. Prudens igitur Magister curam cogitationemque suam eo dirigit, ut internam lit-

litterarum præstantiam, cum auro & honoribus non permutandarum, iuis detegat discipulis; eosque reddat certiores, illarum sedula cultura, intellectus perspicaciam acui, voluntatis emendationem perfici, affectus imperio rationis adiuvescere, animumque in utraque fortuna conservari æquabilem; ambitionem autem & sacram auri famam multis suis exitiosam. Utinam rem suam serio agerent & parentes & magistri, haud difficulter perspicerent, juventutem per ambitionem non excitari ad alacritatem in studiis, sed ad ferociam, non ad modestiam flecti, sed ad fastum, nec ad probitatem institui, sed corrumpi ad nequitiam.

§. V.

In morem etiam nostro venit seculo, filios eis potissimum litteris instituere, quarum cognitione se, tamquam meliori de hinc factos, præ aliis possint jactare; quare plerorumque juvenum attentio in res præcipue curiosas, quæ delectant magis, quam profunt, vertitur. Atque hunc institutionis modum præcipue commendandum esse multi censem, ne filii, severioribus occupati disciplinis, inhabiles fiant tam negotiis suis alacriter gerendis, quam, quod in vita ducunt palmarium, gratæ cum aliis conversationi habendæ. Toto itaque parentes nonnulli lætantur pectore, si filii aliquam linguarum Europæarum habeant peritiam, & singularia naturæ vel artis opera distinguere, & juxta receptam in Philosophorum Scholis methodum nominare valeant. Hi autem quum eruditæ videri, quam esse, malint, in cortice utilium disciplinarum, quarum culturam aliis, a fortuna minus bene dotatis, relinquunt, plerumque hærent, de nucleo obtinendo paruni solliciti. Quod vero nubem pro

pro Junone sint amplexi, publicis admoti muneribus experiuntur, in quibus administrandis illud desiderant cognitionis lumen, eam experientiam & in rebus dubiis constantiam, sine quibus suam tueri non possunt provinciam. Absit, ut omne curiositatis studium damnaremus, probe gnari, quod multum adjumenti ad omne rei litterariorum genus conferat; hoc tantum intendimus, illud aliis non praemittendum esse disciplinis; sed sicut in prandiis solidiores ac succulentiores dapes, fami sedandae inservientes, primum sumimus, ac deinde bellaria, si quæ adsint, leviter degustamus; ita par est, ut juvenes necessariis & utilibus disciplinis probe prius instituantur, quam curiosis in oblectamenti vicem se applicent, magno alioquin conatu magnas nugas acturi.

§. VI.

Quantum cum ipso tempore mutentur hominum de aliis aliisque institutis judicia, vel fata litteraturæ Græcæ ac Latinæ affatim nos docent. Notum scilicet est, non multis abhinc lustris gradus eruditionis ex peritia linguarum Græcæ & Latinæ fuisse æstimatos; non quod Majores nostri crederent, linguis his in se spectatis aliquam inesse eruditionis adorem, sed quod scirent, earum peritos, cognitionem disciplinarum, a veteribus sapientiarum Magistris traditarum, sibi reddidisse perspectam. Contra ea lectio veterum Scriptorum Græcorum & Latinorum nunc, postquam privata institutio prævaluit publicæ, in desuetudinem fere abiit, aut eis tantummodo relicta videtur, quos umbratico in Scholis vivendi generi destinarunt fata. Non solivagus igitur est vir illustris, qui filium moderatori studiorum his commendat verbis:

B

De

De la douceur, Monsieur l'Abbé, de la douceur, je ne veux point, que mon fils se tuë; qu'il sache un peu de Latin, & y consens; point de Grec, le Grec est mortel à la vue; je n'entends pas en faire un Docteur, je le destine à être un Président, comme moi &c. (a). Negari quidem non potest, publica dari munera, mediocris quidem dignationis, sed insigniter tamen fructuosa, in quibus administrandis, salvo lucro, Graeca & Latina ignorari possunt; quisquis autem vel scientiis ac disciplinis probe addiscendis animus applicuerit, vel superius munus in toga aut fago sine suo dedecore aut reipublicæ damno tueri voluerit, satis animadvertiset, se tempus male collocasse, nisi in contuberno Musarum Græcarum & Latinarum aliquam ineuntis ætatis transegerit partem. In publicam quidem luce quotannis prodeunt præstantissima opera, linguis præsertim Anglica, Gallica, aliisque consignata, sed nec has linguas sine linguae Latinae peritia recte intelligemus, ex qua videlicet termini technici qua maximam partem mutuantur, nec ullum est dubium, quin nostra litterarum cognitio provehatur, si antiquorum Scriptorum inventa ac præceptiones, ex autographis melius, quam ex versionibus colligendas, nobis reddamus perspectas.

(a) Vid. *Les Mœurs p. m. 303*

§. VII.

Commune præterea nostro seculo est multorum parentum, præsertim opulentiorum, desiderium, ut filii eorum stadium eruditionis quantocvus emetiantur, quo muneribus publicis cito, & se adhuc vivis, præficiantur, majorum morem per meritorum scalam ad honorum cul-

culmen pedentim adscendendi, censentes plane inceptum. Brevi autem post illi experuntur, se præpostero hoc in filios amore nec eis, nedum civitati, consuluisse. Sicut enim muneri rite administrando aliqualis non sufficit negotiorum theoria, sed eidem accedent experientia & patientia laborum; ita dum sarcinæ humeros subdunt, non sine ingenti tædio inveniunt, se contra suam persuasionem, eidem ferendæ esse impares. Novimus quidem, præcoccia dari ingenia, ad sublimia etiam munera rite obeunda, non tam instituta, quam, ut videtur, nata factaque; rariissima autem hæc sive ingeniiorum humanorum portenta, ex adversitatum palæstra potius, quam ex opulentiae sinu emergentia, a cordatis proinde parentibus in exemplum non trahenda, haud ignaris, meritæ fortunæ comitem esse magnam invidiam.

§. VIII.

Denique haud erit reticendum, quod ab illa vita morumque disciplina, quam maiores nostri, tam in aliis negotiis, quam in juventutis institutione sollicite servarunt, genius nostri seculi multum deflexerit. Quum enim simulacrum quoddam disciplinæ militaris te ubique olim proderet, adeo ut incertus dictum, frivola levitas, negligenter vel officii vel definiti temporis censura non levi perstringerentur; scena hæc nunc ita est mutata, ut pendatarum albo adscribantur quotquot tales minutias notare audeant. Fovenda scilicet est juvenum alacritas, quamvis cum dispendio modestiæ & aliarum virtutum, atque in excusationem adfertur exemplum ATTICI, magni inter Romanos viri, de quo perhibet CORNELIUS NEPOS: eum ita se gessisse, ut communis infimis, par Principibus videretur; quod vero sicut in viro magno lau-

laudandum, ita in juvene vituperandum; quum ex aequo & bono civitatis fieri nequeat, ut aequalitas hominum naturalis in statu civili reviviscat. Sed filum dicendorum nunc abrumpere jubet temporis & aliarum circumstantiarum ratio,

S. D. G.
